



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Sententia resoluens fidem in lumen ipsius fidei, seu in auxilium
diuinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

sentus, quo credo Deum esse trinum & vnum; non assentit huic veritati vt primo principio; neque enim ipsa constat ex terminis: sed assentitur propter aliud, scilicet propter diuinam reuelationem, seu quia Deus reuelat. Rursus quod Deus reuelat hoc mysterium (si quidem non constat ex terminis) debet cognosci propter aliud; de hoc ergo quaeritur, quid sit illud, propter quod iudico Deum hoc reuelare? Si dicas esse humanum testimonium, vel humanas rationes; ergo iam non sistit nostra fides in auctoritate diuina, sed in humana, vel in rationibus probabilibus. Si verò dicas vltimam rationem esse diuinum testimonium; ergo debes venire ad istum tanquam ad primum principium, & ex terminis notum: *Deus reuelat hoc mysterium*: quod tamen videtur absurdum. Hic est totus quaestionis nodus. Videamus nunc potissimas vias illum dissoluendi: omnis tamen multis, quae iam prorsus antiquatae omnem probabilitatis speciem perdidit.

SECTIO II.

Sententia resoluens fidem in lumen ipsius fidei, seu in auxilium diuinum.

PRIMA sententia docet, assensum fidei diuinæ cum sit supernaturalis debere resolui in aliquid supernaturale; atque ideo in lumen ipsius fidei, quo Deus illuminat mentem nostram vt credamus. Auctores huius sententiae non omnes eodem modo explicant: aliqui enim videntur intelligere nomine huius luminis ipsum habitum fidei insulum: ita videntur loqui *Cano lib. 12. de locis cap. 13. concl. 2. & 3. Aragon in praesenti q. 1. art. 1. Banes ibi dub. 1. concl. 6. & ad 3. quos pro hac parte affert Suarez disp. 3. sect. 3. num. 3.* Et quidem in hoc sensu sententia illa facile impugnatur, & merito ab omnibus reiicitur, quia confundit resolutionem fidei in motiuum, cum resolutione in causas efficientes. Certum enim est habitum insulum, vel eo deficiente, aliquid supplet eius efficientiam esse causam, cur eliciamus assensum supernaturalem. Nos tamen nunc non quaerimus, quae sint causae vtrumque actus, fidei, sed quod sit obiectum seu motiuum formale, quod ex parte obiecti mouet ad credendum, quod non videmus. Quare sicut non respondeas ad mentem interrogantis, si petenti à te, cur volueris Romam venire, diceres, quia habeo voluntatem: ipse enim non querebat de causa efficiente, sed de motiuo volendi, quod fuit vel negotium expediendum, vel visitare loca sacra, &c. sic interroganti, cur credas incarnationem, non respondes ad rem dicendo, quia habeo habitum insulum, vel qualitatem suppletentem loco habitus: ipse enim non quaerit de causa efficiente, sed de motiuo ex parte obiecti, quod est, vel ratio, vel auctoritas, vel ipsius obiecti veritas in se apprens.

Vnde sumitur ratio à priori, quia motiuum credendi, sicut motiuum amandi debet cognosci, & qui mouetur, potest de illo reddere rationem, saltem in confuso: alioquin male interrogaremus de ratione conclusionis, aut assensus, si posset respondens dicere, ego nescio, cur id credam esse verum, sed tamen credo verum esse. Cum ergo fideles non cognoscant suum habitum insulum fidei, aliud motiuum habent propter quod

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina.

credant mysteria, quod motiuum cognoscunt, de quo possunt reddere rationem: & de hoc motiuo nunc quaerimus, in illud enim vltimò resoluitur fides, quia vltimò resolui nihil est aliud, nisi quod interroganti non sit vltimò progrediendum, cum reddatur ei vltima ratio nos mouens, & ad quam nulla alia nos mouit, sed ipsa mouit ad aliud credendum. Alia argumenta congerunt contra hoc ipsum, quae in hoc vnum recidunt, Suarez dicta sect. 3. & oninch disp. 9. de obiecto fidei dub. 3. num. 62. Petrus Hurtado disp. 6. de fide sect. 6. & disput. 13. sect. 7. & alij.

Obiicitur primò pro illa sententia, quia in id resoluitur fides, quod manifestat obiecta credenda: haec autem à lumine fidei manifestantur, & idcirco fides appellari solet lumen, non quidem clarum, sed sicut lumen lucernae, prout dixit Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco.* Neque obstat, esse habitum, & principium elicitiuum ipsius assensus: quia etiam lumen gloriae est habitus elicitiuus visionis claræ Dei, & tamen appellatur lumen manifestans Deum, cui correspondet habitus fidei in via illuminans ad actus obscuros: quare sicut lumen corporeum manifestat visui colores, ita lumen fidei manifestat mysteria fidei, & per consequens in illud resoluitur assensus.

Respondetur facili, duplex esse lumen; alterum se tenet ex parte principij, alterum ex parte obiecti: illud primum non est illud, in quod resoluitur assensus tanquam in motiuum, sed tanquam in causam: eiusmodi est lumen naturale intellectus nostri, quod deseruit in genere causae efficientis ad intelligenda obiecta, quo lumine quia carent bruta & infantes, non possunt illa intelligere, & in hoc genere est lumen gloriae, & habitus insulum fidei, qui teneat se ex parte principij, & concurrunt ad suos actus, sed non mouent obiectiue, cum non cognoscantur, sed solum manifestant in genere causae efficientis, quatenus producant actus manifestationis; sicut etiam ipsi oculi appellari solent lumina apud Latinos, quia videre faciunt, non tamen resoluitur notitia in illos. Lumen ergo, de quo inquirimus, est illud, quod obiectiue manifestat, & quod appellatur medium cognitum, & de quo possumus reddere rationem, quod ab illo moueamur. Hoc autem in fide debet esse auctoritas dicentis, sicut in fide humana auctoritas, & testimonium narrantis illuminat nostrum intellectum, ita ut interroganti, cur credas Petrum mortuum esse, cum id non videris, respondeas, quia Paulus id mihi affirmavit, quem scio esse dignum fide. Exemplum autem luminis corporis non est ad rem: visus enim non mouetur à lumine ad veritatem coloris credendam, nec discurret formaliter, aut virtualiter, sed lumen requiritur vel tanquam principium coëfficiens species colorum, vel tanquam conditio ad productionem visionis: quocumque autem modo id sit, & licet daretur, lumen esse medium, certum tamen est, non esse medium incognitum, sed cognitum ab oculo; habitus autem fidei est medium incognitum, & per consequens non potest intellectus in eo fundare suam credulitatem.

Sed contra obiicitur secundò, quia assensus fidei resoluitur in reuelationem Dei, sed Deus reuelat medio lumine fidei, ergo lumen fidei, seu

A 2 habitus

Ultimò resolui quid sit

8
Obiectio 1.

Lumen est duplex. Alterum ex parte principij: Alterum ex parte obiecti.

9
Obiectio 2.

*Fidei assen-
sus resoluitur
in reuelationem
Dei, non
reuelationem
impropiam.*

habitus ipse est id, in quod resoluitur assensus, Respondetur, distinguendo minorem: Deus reuelat propriè, nego, reuelat impropiè concedo, fidei autem assensus resoluitur in reuelationem veram Dei, non in reuelationem impropiam. Reuelatio enim propria Dei est loquutio Dei, qui certè non loquitur, quatenus dat habitum fidei, sed quatenus dicit incarnationem, vel Trinitatem: sicut non dicitur Deus loqui nobis, quatenus dedit nobis intellectum, quo possumus ei credere, & cognoscere etiam alia obiecta. Et prout sic dici possit in aliquo sensu Deus manifestare, & aperire nobis hæc obiecta, quatenus abstulit impedimentum ex defectu potentiae ad ea cognoscenda. Neque etiam qui Petrum surdum medicina aliqua à surditate liberauit, dicitur, prout sic ei loqui, licet dicatur aliquo modo ei manifestasse voces omnes, quas prius percipere non valebat. Sic ergo Deus dans intellectum, vel habitum fidei, dicitur dare nobis potentiam qua eius vocem audire, & credere possumus: non tamen dicitur loqui, quia loquutio est productio verborum ad exprimendam mentem loquentis, vt infra videbimus, intellectus autem, vel habitus non est verbum Dei, quare eius productio non est vltimo modo loquutio, vel reuelatio Dei.

IO
Obiectio 3.

Obicitur tertio, quia in id resoluitur assensus incarnationis, per quod fit credibile nobis hoc mysterium: per habitum autem fidei fit nobis credibile, sine quo, vel aliquo alio eius defectum supplente, credere non possemus, prout oportet: ergo in habitum resoluitur vltimo assensus incarnationis. Respondetur, per intellectum etiam fit credibile mysterium; non enim magis credi posset sine intellectu, quam sine habitu; ergo eodem modo resolui deberet assensus in intellectum. Distinguenda ergo est illa maior: in id resolui debet assensus incarnationis, per quod fit credibile credibilitate prouenire à potentia credendi, nego: credibilitate prouenire à motivo credendi, & suadente eius veritatem, concedo. Obiectum enim denominatur credibile ab actu credendi possibili: actus autem denominatur possibilis à potentia, quæ potest illum producere; quæ potentia constat ex intellectu & habitu: hæc autem tota credibilitas non est, in quam resoluitur assensus, sed alia, quæ prouenit ex motivo, prout vulgè dicere solemus, Tu fecisti credibile hoc, quod prius non credebatur, adductis nimirum rationibus, & motiuis suadentibus & persuadentibus: hoc autem modo mysterium incarnationis non fit credibile ab habitu, sed ab auctoritate, & reuelatione Dei, quæ sola nobis illud persuadet.

II
Obiectio 4.

Obicitur quarto, quia non repugnat, eundem habitum, qui est principium cognoscendi alia, posse concurrere ad sui cognitionem, prout luminæ gloriæ ipsum etiam gloriæ lumen cognoscitur: ergo & lumen, seu habitus fidei potest esse principium cognoscendi ipsum. Respondetur, admitendo, posse ex fide cognosci dari iniunctis habitibus fidei: de facto tamen non resoluitur assensus circa alia mysteria, aut circa ipsum habitum in eundem habitum, tamquam in motiuum credendi, cum ipse etiam habitus debeat credi propter aliud motiuum, nempe propter diuinam reuelationem, vt dictum est. Alia leuiora argumenta videri possunt apud Suarez vbi supra.

12

Hoc ergo primo sensu reiecto, alij magis ap-

parenter sententiam illam defendunt dicentes, Fidei assensus non resolui in habitum, sed in auxilium actuale, quo Deus prius illuminat mentem ad credenda mysteria fidei, saltem ex parte, in hanc sententiam inducere videtur Suarez vbi supra n. 4. Molinam, quatenus 1. part. q. 1. art. 3. disp. 2. supponit, ad rationem formalem obiecti fidei non pertinere testimonium solum diuinum, sed vt dicitur habitudinem ad ipsum lumen seu auxilium Dei. Alij tamen, vt Hurtado disp. 6. sect. 6. §. 37. merito Molin. in alio sensu intelligunt, quod solum velit, ex testimonio solo Dei non prouenire, quod assensus sit supernaturalis, sed ex testimonio Dei, prout subest tali luminis, & auxilio supernaturali, sine quo potuisset idem obiectum terminare actum naturalem, quæ est alia longe diuersa sententia, & habet sensum valde probabilem, vt suppono ex materia de gratia. Cæterum sententiam hanc de resolutione fidei in auxilium actuale, probat, & explicat, ac tuetur P. Iacobus Granado in presenti tractatu 1. disput. 5. sect. 5. & duabus sequentibus. qui num. 1. idè dicit de alijs sensibus intellectualibus, quorum nullus est, qui vltimo resoluitur in ipsum obiectum sed resoluitur in modum, quo obiectum intellectui proponitur: Conclusio enim resoluitur in præmissas formales, quæ taliter proponunt obiectum, vt determinent ad assensum conclusionis; præmissæ verò seu principia resoluntur in apprehensiones taliter proponentes obiectum, vt determinent ad assensum. Idem ergo de assensu fidei dicendum erit, resolui in cognitiones, seu apprehensiones præcedentes taliter proponentes testimonium diuinum, & veritatem obiecti reuelati, vt determinent ad certè, licet obscure iudicandum. Hæc autem apprehensiones præcedentes, cum supernaturales sint sunt auxilium, & illustratio diuina, in quam resoluitur assensus fidei.

Contra hanc sententiam sic explicatam multa ex argumentis, quibus P. Suarez dicta sect. 3. & alij videntur, non habent vim. Quale est illud quod P. Suarez sæpè inculcat, quod habitus, vel actus fidei supponere debet suum obiectum adæquatam, quare non potest habere ipsum pro obiecto totali, vel partiali. Nam in hac sententia non resoluitur fides in ipsum habitum, vel actum fidei, sed in instinctum, seu auxilium, vel apprehensionem supernaturalem præcedentem, quæ quidem non est assensus fidei, sed aliquid ab eo adæquate condistinctum. Quare miror, Suarezium num. 11. vsum esse hoc argumento, dicendo, auxilium prout recipitur in homine, non esse aliquid distinctum ab ipso actu, seu productione eius. Si enim loquatur de auxilio concomitanti seu de concursu actuali ad actum, verum est. Si autem de auxilio præuenienti sermo sit, est falsum, & quidem de hoc auxilio præuenienti loquuntur hi Auctores, quod dicunt esse instinctum Spiritus sancti, & apprehensionem supernaturalem præuenientem, quam constat distinguui totaliter ab actu fidei, ad quem datat.

Similiter secundo non multum vrget in re ipsa illud aliud argumentum, quo vtitur idem Suarez n. 12. quod scilicet obiectum fidei formale non sit Deus vt auxilians, sed vt reuelans, neque Deus vt omnipotens, sed vt summè verax, quare non in auxilium, sed in reuelationem Dei resolui debet fides nostra. Ad hoc enim facile respondere possent hi Auctores, Deum vt reuelantem compleri

compleri per auxilium, seu apprehensionem præcedentem de reuelatione externa; quatenus per illam applicatur intellectui nostro auctoritas, & reuelatio Dei, quæ mouere non potest per se ipsam immediatè, sed quatenus applicatur intellectui credentis.

Denique tertio non videtur mihi magna vis faciendi contra hoc Auctores in argumento illo, quo alij eam impugnabant, & quod insinuat idè Suarez num. 9. in fine, quod scilicet modus ille dicendi aniam præbere potest hæreticis nostri tēporis ponentibus pro regula suæ fidei instinctum internum, quod est seminarium omnium errorum. Hoc tamen, vt dixi, longè abesse videtur ab ea sententia: quia in re ipsa nihil potest, quod non ponant omnes Catholici, qui certè præter reuelationem externam Dei, ponunt rursus notitiam internam, saltem apprehensiuam, illius reuelationis sine qua notitia assensus fidei fieri non posset: quare omnes fideles possunt dicere, se credidisse, quia habuerunt instinctum internum, seu inspirationem, & notitiam internam reuelationis Dei, nec per hoc conueniunt cum errore hæreticorum. Quod enim in hæreticis reprehenditur, non est, neque esse potest, quod sequantur instinctum internum, per quem vltimò proponuntur credenda; quem quidem instinctum Catholici etiam laudabiliter sequuntur: sed hæretici ponunt illum instinctum internum pro regula fidei suæ independenti ab omni alia regula externa quæ instinctus interius regulatur, ne cogatur reddere rationem suæ credulitatis. Catholicus autem, quamuis habeat pro regula proximam illum instinctum internum, sicut etiam omnis actus moralis bonus habet pro regula proximam dictamen internū conscientia: illud tamen dictamen regulatur à regula externa, & ideo quando Catholicus interrogatur, cur amplectitur hanc fidem, non respondet sicut hæreticus, quia ita mihi interior instinctus dictauit, sistendo ibi, sed potius quia conscientia mihi dictauit interius, esse obligationem credendi, quando reuelatio diuina proponitur cum talibus, & talibus notis, & regulis extrinsecis, de quibus, cum extrinsecæ sint, reddere potest rationem, & tollitur periculum & seminarium errorem. Hi ergo Auctores non resolunt fidem Catholicam in instinctum internum, vtrumque, sed in talem instinctum proponentem tales regulas externas, & obligationem idcirco acceptandi testimonium Dei taliter propositum.

Quare, vt de sententia illa iudicium proferam, fateor in illa aliqua cōtineri, quæ vera sunt, quædam non ita vera; absolute tamen ad præcipuam difficultatis punctum parum deseruire, quia difficultas resolutionis fidei, quæ magis vrget, adhuc tota integra, & insoluta manere videretur. Fateor ergo, in primis verissimum esse, vt dicebam, quod ad assensum fidei præter reuelationem externam Dei requiratur notitia interna, quæ intellectui interius proponatur reuelatio Dei, & eius connexio cum reuelata, & credenda, & quidè quæ proponatur non vtrumque sed taliter, vt possit prudenter mouere ad certò, & firmiter assentiendum. Nam mihi etiam proponuntur exterius omnes errores, & deliramenta Mahometi, & Lutheri, & concipio hæc omnia interius: non tamen ita vt possim prudenter eis assensus præbere. Siue ergo illa sit simplex apprehensio, siue alius actus, certum est, illum prærequiri; & qui

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuine.

dem non solum in eo, qui credit, sed etiam in eo, qui cum posset proxime credere, non credidit, sed animo obstinato in suo errore permanit, quia ille etiam habuit auxilium sufficiens ad credendum & illi etiam exterius & interius proposita est veritas fidei sufficienter, vt eam amplecti deberet.

Vnde secundò verum etiam est, hanc notitiam internam præcedentem non requiri solum in genere causæ efficientis, vt per modum causæ efficientis physicæ producat cum intellectu actum fidei, sed multò magis requiri quasi in genere causæ formalis, vt informando intellectum, eum formaliter disponat, & inclinet ad præstandum assensum absolutum. Nam quicquid sit, an hæc illustrationes, & inspirationes præuix concurrant efficienter physicè ad consensum, vel ad assensum, de quo est quæstio inter Theologos, & tractari solet in materia de gratia; certum est apud omnes, quod formaliter disponunt potentiam ad eorum actuum productionem. Quæ est quæstio philosophica, & tractari solet de cognitione finis, an concurrat in genere causæ efficientis ad eius amorem, an vero solum in genere causæ formalis determinando formaliter vel inclinando ad amorem eliciendum. Quod idem etiam quæri solet de actu intentionis respectu electionis medijs & de actu imperante respectu actu imperari: quos omnes actus siue concurrant etiam efficienter, siue non concurrant, certum est, concurrere formaliter disponendo, vel inclinando, & aliquando etiam necessitando potentiam ad alios actus.

Vnde tertio verum etiam videtur, nec posse negari quod fidelis interrogatus, cur crediderit, possit aliquando sine vitio respondere, credidi, quia mihi proposita fuerunt interius obiecta cum tali connexionione cum testimonio diuino, vt prudenter respui non posset: dum tamen reddat rationem illius connexionionis non ex solo instinctu interno prout faciunt hæretici, sed ex regulis externis, quæ illi propositæ fuerint ad ostendendam credibilitatem obiecti. Ratio autem est, quia cum fidelis non solum cognouerit reuelationem, & regulas sibi à prædicante propositas, sed etiam dictamen suum internum à quo proximè motus fuit ad volendum credere, potest hoc etiam reddere pro ratione suæ voluntatis. Sicut etiam, qui assentitur, conclusionis propter præmissas; interrogatus, cur assensum probauerit, potest dupliciter respondere. Primò reddendo pro ratione obiecta solum præmissarum, nimirum, ego affirmavi, Petrum esse risibilem, quia omnis homo est risibilis, & quia Petrus est homo: quæ ratione satisfacit abundè interrogationi, & reddit plenam rationem sui assensus. Secundo tamen potest aliter respondere, recurrendo ad præmissas formales, & dicendo, ego sensi, Petrum esse risibilem, quia habuit euadentiam de præmissis, & euidenter iudicavi, omnem hominem esse risibilem, & Petrum esse hominem: quæ etiam ratione optime satisfacit interroganti. Similiter ergo fidelis poterit respondere recurrendo ad notitiam formalem de motiuo obiectiuo, & illam reddere pro ratione non obiectiuam, sed formalem, & representante rationem obiectiuam.

His ergo suppositis, & concessis in gratiam illius sententiæ, aliqua sunt, quæ non ita facile placere mihi poterunt. Primum est, quod con-

A 3 fundit

17

18

19

Quæ non ita

fundit motuum formale cum obiectu o: omnes enim concedunt, actus ipsos, quibus motiva obiectiva representantur, & applicantur, moueri etiam in suo genere: v.g. ad medicinam eligendam mouet sanitas vt obiectum; mouet etiam cognitio sanitatis bonæ, & medicinæ utilis, mouet denique amor sanitatis: sed tamen diuerso modo; nam sanitas sola mouet vt finis, & eius solius gratia sunt media, non gratia cognitionis, vel amoris finis: quare quando querimus de motiuo simpliciter formalis, non est sermo de cognitione, vel applicatione obiecti, seu de motiuo præcisè, quod ex parte obiecti proponitur. Quare immerito dicunt ij Auctores, fidem debere resolui vltimò in solum auxilium diuinum, seu instinctum illum internum: nam in genere, & progressu obiectiuo non resoluitur in illum instinctum, sed in auctoritatem, & testimonium diuinum.

Fides non resoluitur in solum auxilium diuinum, sed in auctoritatem.

20

Probat 1. & explicatur.

Probat, & explicatur simul: quia illud est in quod vltimò resoluitur actus, in quo vltimò sistit ipsemet actus: Mosquendo enim de resolutione intrinseca, vt ita dicam, quam facit ipsemet actus, illud est vltimum, in quo vltimò sistit actus, nec vterius progreditur, v.g. actus charitatis, quo amas creaturas propter Deum, attingit intrinsece creaturas, & Deum; in creaturis autem non sistit, sed illas amat propter bonitatem Dei, ad cuius gloriam conducunt, in qua Dei bonitate vltimò sistit, nec illam amat propter aliam bonitatem, quam attingat. Bonitas ergo Dei est vltimum, in quod resoluitur intrinsece ille amor: alioquin non esset actus virtutis theologicæ: nisi haberet pro obiecto formali intrinseco vltimo aliquid diuinum, sed resolveretur vterius vltimò in solam propositionem, & apprehensionem bonitatis diuinæ quæ apprehensio non est diuina, sed merè creata. Similiter ergo assensus fidei, cum sit actus virtutis theologicæ, debet habere motiuum, & obiectum formale intrinsecum vltimum aliquid diuinum, quod est veritas Dei, & ideo est theologicus; quia loquendo de resolutione intrinseca, quam facit ipse actus, non progreditur vterius, nec dicit, credo incarnationem, quia Deus est verax, & credo esse veracem, quia tali modo, & instinctu proponitur; neque enim assensus fidei habet pro motiuo, & obiecto intrinseco vltimo suæ resolutionis instinctum ipsum, sed solam veracitatem, & testimonium Dei: ergo hæc auctoritas diuina prout condistinguitur ab instinctu, quo proponitur, est vltimum in quo sistit intrinsece assensus fidei. Nam quamuis fidelis postea possit redere pro ratione sui assensus ipsum etiam instinctum, quo tali modo proposita fuit auctoritas diuina, & connexio ipsius cum veritate reuelata: tunc tamen non explicat resolutionem solam intrinsecam, quæ est in assensu, sed resoluit ad causas extrinsecas, quam resolutionem actus fidei non attingebat intrinsece.

21

Probat 2.

Vnde secundo probari potest hoc ipsum exemplo fidei humanæ, qua credimus Petrum esse mortuum, quia Ioannes verax id testatur; qui assensus non est reflexus, vel certè non debet necessario cognoscere reflexè cognitionem, qua cognosco, Ioannem hoc dixisse, sed solum cognoscit directe veracitatem Ioannis, & eius testificationem, propter quam credit mortè Petri. Quod idem est, in omni assensu conclusionis, qui licet resolui possit postea extrinsece in præmissas for-

males tanquam in causas extrinsecas, intrinsece tamen non attingit illas, sed sola obiecta principiorum in quibus sistit, & quæ habet pro motiuo formali intrinseco vltimo. Similiter ergo assensus fidei non resoluitur intrinsece in cognitiones formales præcedentes, sed in testimonium, & veracitatem Dei, quæ secundum se habent connexionem cum veritate rei reuelatæ.

Confirmatur primò, quia in illud resoluitur vltimò, & sufficienter assensus fidei, quod habet connexionem cum veritate mysteriorum reuelatæ: hæc enim, quæ talem connexionem habent, possunt sufficienter mouere ad assensum conclusionis, sicut bonitas sanitatis habens connexionem cum tali medicina, vt cum causa necessaria sufficienter mouet ad eligendam medicinam: sed reuelatio, & veracitas Dei habent sufficientem connexionem cum veritate rei reuelatæ ergo illæ duæ possunt sufficienter mouere obiectiue & vltimò ad assensum mysteriorum, sine eo quod mediare debeat aliud motiuum.

Confirmatur secundo, quia instinctus, seu apprehensio illa, non est propriè loquutio Dei, sed magis est auditio mea: sicut quando audio Petrum, auditio mea non est loquutio Petri; ego autem non credo, quia audio, sed quid Petrus testatur, & loquitur, cum loquutio ipsa pro vt condistinguitur à mea auditione, habeat connexionem cum veritate rei testificatæ. Si ergo fideles credunt propter testimonium Dei, vt admittunt Theologi omnes, non credunt propter instinctum internum, qui nec totaliter, nec partialiter est loquutio Dei, sed propter testificationem Dei, quæ est obiectum auditionis meæ: alioquin non crederent, quia Deus dicit, sed solum quia ipsi audiunt, atque ideo testimonium Dei non esset obiectum formale, sed materiale, quod crederetur propter solam auditionem.

Vnde secundo displicet, quod illi Doctores dicunt debere resolui assensum fidei in illum instinctum supernaturalem, quia vt sit assensus supernaturalis, debet resolui in aliquid determinans ad actum supernaturalem, quod non est aliud, nisi instinctus ille supernaturalis præcedens, nam veracitas, & reuelatio Dei secundum se, si non proponantur illustratione supernaturali, non determinant ad assensum supernaturalem. Hoc, inquam, displicet, quia supernaturalitas auxilij præuenientis, non potest esse id, in quod resoluitur assensus fidei: nam licet fidelis percipiat illustrationem, & instinctum Dei præuenientem, & resolutione extrinseca possit in illud resolvere assensum suum, hoc tamen non potest dici de supernaturalitate illius illustrationis, cum homo non percipiat, an illustratio illa sit supernaturalis: quare nullo modo potest etiam resolutione extrinseca resolvere suum assensum ad illam supernaturalitatem: illud enim, in quod resoluitur, debet percipi à resolvente, cum resolvere sit reddere rationem sui assensus: Cum ergo fidelis non percipiat supernaturalitatem illius illustrationis præcedentis, non potest dicere, ego credidi incarnationem, quia instinctu, & illustratione supernaturali proposita mihi fuit auctoritas Dei connexa cum veritate incarnationis: non ergo potest supernaturalitas auxilij præuenientis deservire vilo modo ad resolvendam fidem in illam, sed solum, vt Deus connaturaliter det concursus ad assensum super naturalem, propter propositionem supernaturalem præcedentem, quæ

que connaturaliter exigit concursum ad assensum eiusdem ordinis.

Similiter displicet tertio quod ille Auctor dicit n. 3. quod scilicet assensus fidei diuine non sit conclusio, sed quasi primum principium, & ideo non possit reuocari ad præmissam aliquam ex qua deducatur, sed ad talem apprehensionem veritatis reuelatæ, & auctoritatis Dei reuelantis, quæ mentem determinet ad certum, licet obscure iudicandum. Hoc, inquam, licet verum sit de assensu fidei, prout versatur circa veritatem, & testimonium Dei, quæ sunt principia ad credenda mysteria; non tamen est verum prout versatur circa mysteria reuelata: ad hæc enim non tendit, vt ad principia, sed vt ad conclusionem ex præmissis formaliter, vel virtualiter distinctis, vt postea videbimus: cum enim credat incarnationem propter aliud, nempe propter auctoritatem Dei reuelantis, necesse est, quod non versetur circa incarnationem, tamquam circa primum principium, sed tanquam circa id, quod infertur ex aliis, siue id sit cum difficultate forma, siue cum solo virtuali, de quo infra dicendum erit.

Hinc iam colligitur id, quod ultimo loco dicebam de prædicta sententia, nempe in ea remanere adhuc totam difficultatem principalem huius controuersie insolutam. Nam etiam si daremus assensum fidei resoluti ultimo, non in testimonium Dei extrinsecum, sed in illustrationem, & instinctum intrinsecum, quod veritas, & reuelatio Dei mihi proponitur, adhuc de ipsa illustratione, & instinctu remanet eadem difficultas: quomodo nimirum proponat ex parte obiecti Dei reuelationem vere existentem, an hoc proponat per modum primi principij, & notum ex terminis, an vt notum per aliud. Intellectus enim per se ideo assentitur obiecto, quia tali modo proponitur per apprehensiones: quare ideo assentitur euidenter, & immediate primis principijs, quia eorum veritas in se ipsa clare proponitur per apprehensionem præcedentem, & ideo assentitur mediare, vel obscure aliis obiectis, quia eorum veritas per apprehensionem non proponitur in se ipsa, & clare, sed solum in alio medio, & obscure. Peto ergo si quidem fides assentitur non solum mysterio reuelato, sed etiam ipsi reuelationi, & credit Deum reuelasse incarnationem quomodo veritas reuelationis proponatur per apprehensionem, seu instinctum præcedentem an proponatur per aliquod medium, & de hoc quaeritur quale sit: an verò immediate, & in se, & hoc videtur difficile, cum non magis nos viderimus reuelationem Dei præteritam, quam ipsam incarnationem, quare sicut veritas incarnationis apparet in alio, scilicet in testimonio Dei, sic ipsa reuelationis veritas deberet in aliquo alio apparere. Hæc est præcipua difficultas in hoc puncto, & hæc eodem modo remanet in illa sententia quæ ad hoc dissoluendum nihil confert, vt vidimus.

Vnde iam facile dissoluatur quæ P. Granado affert pro sua sententia, quæ ferè ex vocis æquiuocatione procedunt, nec probant, nisi id quod nemo negat, nempe necessitatem auxilij interni & gratiæ, ac illustrationis diuinæ præuenientis ad credendum Ad quod affert loca Scripturæ, & Patrum n. 29. & 30. scilicet Ioannis ep. 1. c. 3. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Quod verum quidem est in omnibus fidelibus, qui habent testimonium Dei obiectiue in se, cum illud credant. Et quidem hoc contra ipsum pro-

barer, qui dicit non resoluti fidem in reuelatione & testimonium Dei, sed in auxilium, & instinctum Dei intrinsecum; cum tamen Ioannes dicat testimonium ipsum Dei esse intra nos; quare omnes debemus id intelligere de existentia obiectiua item ex illis verbis eiusdem Ioannis ibi c. 2. *Vnicuique de vobis, & omnibus, quod verum etiam est, quatenus gratia Spiritus sancti proponit nobis congruè testimonium Dei propter quod credimus. Quod ipsum significant Beda ibi dicens, Nisi Spiritus cordi adsit audientis, & nisi intus sit qui docet, otiosus est sermo doctoris, & Augustinus lib. 15. de Civitate, cap. 6. dicens, Etiam si Deus ipse vixit creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, in nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini predicatio veritatis, & lib. de prædestinatione sanctorum c. 2. *Qui credunt, inquit, predicatorum foris sensus sonante, intus à Patre audiunt, atque discunt.* Quæ omnia, & plura similia solum probant necessitatem gratiæ, & illustrationis internæ, quam nemo Catholicus negat; non tamen dicunt, resoluti assensum fidei obiectiue in gratiam illam internam, aut illam haberi ex parte obiecti pro medio obiectiui ad assentiendum: in eodem sensu loquitur lib. 11. Confessionum c. 3. vbi de mundi creatione à Moysè narrata sic ait. *Scriptum hæc Moyses, scripsit, & abiit nec enim nunc ante me est, nam si esset, tenerem eum, & per te obsecrarem, vt mihi ista penderet. Sed vnde scire, an vera diceret. Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis veritas sine strepitu syllabarum daret: verum dicit, & ego statim certius confidenter illi homini tuo dicerem: verum dicit.* Quibus verbis nihil aliud inculcatur, nisi necessitas illustrationis internæ, qua eadem, quæ extensè dicuntur, vel leguntur, congruo modo apprehenduntur, ita tamen vt apprehensio sit solum medium incognitum, non medium obiectiuum, & cognitum, in quod ex parte obiecti resoluti possit assensus. Quare obscure satis, & non consequenter loquitur ille Auctor, dum relatis illis Augustini verbis n. 30. subiungit. *Hactenus sanctus Ecclesiæ Doctor ostendit, internam Dei loquutionem esse, qua ad assentiendum rebus fidei mentem eius determinaret, nec ad ullam aliam rationem confugit.* Quare instinctum illum internum videtur agnoscere tanquam loquutionem veram Dei: quare si fides habet pro motiuo obiecto loquutionem Dei, posset illa loquutio interna Dei esse id, in quod ex parte obiecti resoluatur assensus. Aliunde verò numero 26. dicit, diuinam auctoritatem esse quidem ultimam rationem determinantem ex parte intellectus, quare videtur condistinguere omnino auctoritatem, & testimonium diuinum ab hac illustratione, ita vt hæc non sit loquutio Dei, nec medium obiectiuum. Quod idem confirmat n. 27. adductis verbis S. Thomæ in præsentè quaest. 2. art. 9. ad 3. vbi ait: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum: inducitur enim auctoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus est interiori instinctu Dei inuitantis. Vnde non leuiter credit, cum habeat sufficiens inductiuum ad credendum.* in quibus verbis ponderat, per auctoritatem diuinæ doctrinæ intelligi à S. Thoma totum, quod se tenet ex parte obiecti, vnde cum ipsa diuina auctoritas proponatur, & se teneat*

ex parte obiecti, illam quoque comprehendit. Vltra quod totum addit motionem internam quæ ipsammet auctoritatem diuinam ita proponit, vt moueat: quare videtur hic Auctor fateri, motionem illam internam non pertinere etiam partialiter ad auctoritatem, seu testimonium diuinum, cum tamen *num. 30.* fateatur esse loquutionem internam Dei, quod quidem non est de mente S. Thomæ, qui motionem illam adæquatè distinguit à tota doctrina, & auctoritate diuina, solumque vult inducere ad credendum, quatenus Deus proponendo interiùs eandem reuelationem, mouet hominem ad præbendum assensum, quare illa inuitatio Dei interna non est noua loquutio Dei, nisi allegorica, quatenus Deus accommodat sua gratia aures internas mentis, vt melius percipiat vim, & veritatem diuini testimonij propoliti.

27

Arguit deinde ratione, primò *sect. 6.* quia sola auctoritas diuina obscure reuelans non est sufficiens ratio formalis, determinans ad assensum fidei supernaturalem, quia quantumuis hæc proponatur, & omnia motiua credibilitatis; assensus non erit supernaturalis, nisi Deus illuminet illustratione supernaturali; ergo vltra diuinam auctoritatem, & reuelationem requiritur aliquid ex parte intellectus, quod illum determinet ad assensum supernaturalem, nempe illuminatio interna supernaturalis, atque ideo ad hanc erit vltimò recurrendum in resolutione fidei. Hoc tamen argumentum non minus probaret, fidem resoluì debere in ipsum habitum fidei, vel aliquid aliud eius influxum supplens, cum etiam sine hoc non possit fieri assensus fidei supernaturalis: vnde constat, ex hoc capite fidem non resoluì in motiuum, sed in causam suæ supernaturalitatis; de qua resolutione nunc non agimus, nec petimus, cur assensus sit supernaturalis, sed quid moueat fidelem ad credendum tanquam vltimum motiuum ex parte obiecti.

28

Arguit secundò ibidem, quia ex duobus hominibus, quibus proponitur aliquid vt dictum à Deo, vnus credit, & alter non credit, ergo aliqua causa interior est in vno, quæ illum mouet, quam non habet alter, qui non determinatur vt credat, nempe talis apprehensio rei, quæ credenda proponitur, quæ tanquam ratio formalis determinat non minus, quàm apprehensiones terminorum determinat ad euidentem assensum primorum principiorum: Ad quod confirmandum adducit *num. 35. in fine* illud Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* per internam scilicet motionem quæ ad credendum inuitatur: & illud act. 16. vbi dicitur Dominus aperuisse cor *Lydia purpuraria vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo:* quatenus scilicet modo dicto illustrata est mens illius, vt crederet.

Hoc argumentum longiori examine indigeret: continere enim videtur doctrinam talem, ex qua sequatur, eum, qui credit, habere priùs apprehensionem talem, quæ determinet ad credendum, sicut apprehensiones terminorum determinant intellectum ad assensum primi principij euidentis: quare assensus fidei non esset liber; sicut assensus primi principij euidentis non est liber. Rursus videtur ex doctrina huius argumenti sequi, eum qui non credit, non habere principium sufficiens proximum ad credendum, cum id proueniat ex defectu apprehensionis illius de-

terminantis ad credendum; sine qua credi non potest, quia sine eo, in quod fidei assensus resoluì debet, non potest credi. Vtrumque autem est aperte falsum, cum & ille, qui credit, libere credat, & possit stantibus omnibus apprehensionibus præcedentibus, non credere, & contra hæreticus libere dissentiat, & possit sæpe potentia proxima velle credere, ac per consequens non deest illi id, in quod fidei assensus resoluì deberet. Confundit enim hic Auctor gratiam congruam cum principio resolutionis fidei, & affert loca scripturæ, quæ probant necessitatem auxilij efficacis, sine quo credi non potest, impotentia solum consequenti & non antecedenti, ad probandam necessitatem principij resolutionis fidei, cum tamen ipse, & omnes fateri debeant, eum, etiam, qui culpabiliter non credia, habere sæpe omnia principia necessaria ad assensum, & per consequens id, in quod fides resoluì deberet, sine quo credi non potest.

SECTIO III.

Refertur & impugnatur secunda sententia reducens assensum ad imperium voluntatis sine motiui intrinseco.

PROPTER hæc est secunda sententia communis, quæ docet rationem formalem vltimam fidei esse solam auctoritatem Dei reuelantis mysterium: itaque solum credimus, quia Deus reuelans est summa veritas. Auctores huius sententiae diuiduntur inter se; nam alij dicunt summam Dei veritatem esse adæquatè rationem formalem assentiendi, reuelationem verò esse solum conditionem, & applicationem auctoritatis diuinæ; itaque credimus solum quia Deus est summa veritas; licet ad credendum requiratur applicari diuinam veritatem per reuelationem huic mysterio. Alij & magis consequenter dicunt, rationem formalem fidei constare ex diuina veritate, & ex reuelatione tanquam ex rationibus particulis: itaque credimus Trinitatem, quia Deus est summa veritas, & quia ipse Deus reuelauit mysterium Trinitatis, non enim est maior ratio cur prima veritas sit ratio formalis, quàm ipsa reuelatio; cum vtrique moueat ad assensum mysterij, & altera deficiente, non assentiret: quod infra latius probandum est *sect. 7.*

Contra hanc sententiam adhuc manet in suo robore difficultas, nam in primis adhuc possumus exigere vltiorem rationem formalem illius assensus: si quidem dixis, te credere Trinitatem, quia Deus verax est, & quia Deus reuelauit: rogo an scias euidenter, Deum reuelasse; an vero ex fide: non quidem euidenter, patet; ergo solum ex fide ergo ille assensus nititur etiam altera reuelatione; cum enim ex terminis non constet, Deum reuelasse, debet esse ille assensus mediatu: da ergo medium cui innitatur. Dicunt, illum esse assensum primi principij in rebus fidei; habetque habitum fidei vim eliciendi assensum non solum circa conclusiones, sed etiam circa principia. Admitto libenter, eundem habitum insulsum posse elicere diuersos actus circa conclusiones, & circa principia. Verge tamen, qui fieri possit, vt ille assensus sit primum principium: cum non constet ex terminis Deum hoc reuelasse; alioquin